


05

A

1156









IN NOMINE JESU CHRISTI!  
PIA CONSIDERATIO  
DE

31

ULTIMO JESU  
CHRISTI JUDICIS  
ADVENTU

*Quam*  
SUB PRÆSIDIO

VIRI PLURIMUM REVERENDI, AMPLISSIMI  
ATQUE EXCELLENTISSIMI

DN. ABRAHAM CALOVII,  
SS. TH. D. EJUSDEMQUE PROF. PUBLICI  
ELECTORALIUM ALUMNORUM EPHORI, CONSISTO-  
RII ECCLESIASTICI ADSESSORIS, CIRCULI-  
QUE ELECTOR. SUPERINTENDEN-  
TIS GENERALIS.

*Publico Eruditorum examini subjicit*

M. JOHANNES FABRICIUS,  
Brandenburgo - Marchicus.

*In Auditorio Majori die Octobris.*

---

WITTEBERGÆ

Literis exscribat Johannes Röhnerus, Acad. Typogr.  
M. DC. LII.



VIRIS

GENEROSA NOBILITATE, MAGNIFICENTIA, PER QUAM REVE-  
RENDA DIGNITATE, AUCTORITATE, SAPIENTIÆ SPLENDO-  
RE, RERUMQUE USU ET CONSILIORUM DEX-  
TERITATE LONGE PRÆCLARIS-  
SIMIS,

SUPREMI SYNEDRII ECCLESIASTICI ELECTO-  
RALIS, QUOD DRESDÆ EST, DN. PRÆSIDI ET DNN. CON-  
SILIARIIS EMINENTISSIMIS,

DN. FRIDERICO à *METSCH* in *Reichenbach*  
& *Friesen* &c. Toparchæ, S. Cæsar. Majest. Consiliario, Ejusdemque  
Imper. Rom. Archithesaurario, nec non Sereniss. Saxon.  
Domini Electoris Consiliario intimo, &c.

DN. JACOBO WELLERO, SS. Theologiæ  
Doctore Præcellentissimo, Sereniss. Electori Saxon. à Confessionibus  
& Consilij sacris atq; Concionibus aulicis prima-  
rijs &c.

DN. ÆGIDIO STRAUCHIO, SS. Theologiæ  
D. celeberrimo, Ecclesiæ Dresdensis ad D. Crucis Pastori fidelissi-  
mo, nec non vicinarum Superintendenti vigilantis-  
simo juxta ac meritissimo &c.

DN. FRIDERICO TUNZELIO, Jcto Am-  
plissimo, Sereniss. Sax. Electori ab Appellationum,  
Consilij &c.

DN. JOHANNI LUDOVICO COPPELIO,  
Jcto Celeberrimo, Consiliario itidem Electorali  
Saxonico &c.

*Domini Patronis ac Promotoribus summis  
summè colendis,*

*Hanc disputationem Theologicam in sui commendationem,  
suorumq; Studiorum promotionem submissè atq;  
humiliter offert & consecrat*

Resp. & Autor

M. JOHANNES FABRICIUS, Brand. March

05 A 1156







## ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.



**S**ancta ut omnia sunt  
pietatis & religionis capita, ita my-  
sterium de gloriolo Christi ad iudicium ad-  
ventu non nisi sanctissimum est censendum.  
*Sancta est ejus promissio.* Licet enim *Epicuræi*  
& *Empædæ* hunc salvatoris nostri adventum  
in dubium vocent, ut legimus. *II. Pet: III 4. Ubi nunc promissio*  
*adventus ejus?* tamen & certissimus & sanctissimus ille est fu-  
turus. Non enim dicitur gratia trina (quæ alias perfectæ corre-  
spondet) assertione hunc suum Adventum confirmare voluit  
in ultimo totius codicis Biblici capite, sed summam hujus ad-  
ventus certitudinem aperire omnibus studuit. Nam *Apoc:*  
*XXII. 7. dicit: Et ecce, venio velociter.* Deinde v. 12 *Ecce ve-*  
*nio cito.* Denique v. 20. *Dicit, qui testimonium perhibet istorum:*  
*Etiā venio cito. Amen.* Cui etiam fidelis anima firmam ad-  
hibet fidem, adjiciens: *Etiā veni Domine Jesu.* Et ne quis ul-  
lam de adventu ipso moveret controversiam, an adventus in  
carnem, an in corda, an ad iudicium sit intelligendus, addit  
v. 12. *Ecce venio cito; & merces mea mecum est reddere unicuique*  
*secundum opera sua.* Apertis his verbis adventum ad iudicium  
determinat, & omnem dubitationis litem dijudicat. *Sancta*  
*est ejus institutio, quia Deus, qui Sanctus, Sanctus, Sanctus est.*  
*Esa: VI. 3. statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in equitate,*  
*in viro, in quo statuit Act: XVII. 31. Sancta est iudicis descriptio,*  
*quia is futurus est Sanctus Sanctorum Dan: IX. 24. Sancta etiam*  
*est ejus in hominibus operatio. Vera enim iudicii consideratio,*  
*est carnalis concupiscentiæ sublatio. Id quod suo edoctus ex-*  
*emplo fatetur Augustinus l. VI. Confess. c. 6. Non, inquit, me*



*revocabat à profundiore carnalium voluptatum gurgite, nisi me-  
 tus mortis & futuri iudicii: Unde hoc omnibus salutare præ-  
 scripsit monitum Ep. 3. semper ante oculos versetur ultimus dies,  
 ita facillimè poterimus corpus nostrum à vitiis & concupiscentiis  
 refranare. Cum ergo semper adventus hujus ad iudicium me-  
 ditatio sit instituenda, cum ex symbolo Apostolico doctrina  
 de gloriosissimo Christi reditu quotidie omnibus Christianis sit  
 repetenda, nos nec à scopo, nec ab officio aberramus, qui my-  
 sterium hoc præsentis tempore explicamus. Et præsertim, cum  
 de Adventu Christi in carnem, itemq; de adventu Christi in cor-  
 da alio tempore jam sit actum, tertius adhuc, qui ad iudicium  
 dicitur, restare videtur. Rem ergo congruam tempori, con-  
 gruam ordini, congruam etiam studiis nostris facimus, dum  
 hunc ultimum Christi adventum exponimus. Ne tamen di-  
 sputationem ἀνεφαλον και ἀμεθοδον και ἀγροφον propona-  
 mus, ipsum Christi adventum ad nos & in nostram mentem ex  
 Apoc: XXII. 20. & nobis exoramus: *Etiam Veni Domine Jesu.  
 Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum nostro spiritu, cum nostro  
 intellectu, cum nostro calamo, cum nostra lingua, imò cum omnibus  
 nobis. Amen.**

I. De adventu Christi ad iudicium acturi ὀνοματολογία  
 primo, πραγματολογία postremo loco ponimus. Illa verba,  
 hæc πράγματα explicat. Illa materiam, hæc formam compre-  
 hendit. Ut enim res significata, formæ, ita vox significationem  
 recipiens materiæ habet respectum, neutra tamen negligenda  
 pars est, sed utraque exponenda. Parat illa aditum, tradit hæc  
 omne contentum. Illa confusam, hæc distinctam offert & af-  
 fert cognitionem.

II. Ονοματολογία tria omnium consensu complectitur, ni-  
 mirum (1) ἔτυμολογίαν, ὁμώνυμίαν & συνωνυμίαν. Quoad ἔτυ-  
 μολογίαν nulla hic est difficultas, sed omnium verborum ma-  
 gna facilitas, magna perspicuitas. Dicitur adventus ab adven-  
 τῷ, quod est supinum verbi ad venio, sicut accessus ab accessum,  
 notatq; advenientis actum, E. g. Adventus Regis vel principis:  
 Adventus Patris vel Præceptoris. Deinde Christus vox Græca  
 est; & derivatur non ἀχράσμαι, ut quidam ex antiquioribus sta-  
 tue-



tuerunt. Licet enim Christus omnibus hominibus utilis & salutaris fuerit suo *adventu primo*, dum omne consilium Dei nobis revelavit, omnesque homines non tantum ad salutem informavit, sed etiam suâ acerbissimâ passione & morte à peccatis, morte, legis maledictione & æternâ condemnatione redemit: omnibus etiam suo *adventu secundo* adhuc salutaris sit, qui scilicet ipsum recipiunt, dum corda ipsorum regenerat, vivificat & ad æternam salutem conservat: omnibus etiam fidelibus *adventu suo ultimo* vere salutaris futurus sit, quibus omnia in Adamo amissa restituet, eosque post tam diuturnas hujus mundi calamitates aquâ vitæ & cælesti mannâ reficiet: tamen cum in Græco non scribatur *χενσός*, sed *χρισός*, non à *χράσμαι*, sed à *χρισ* dicitur, quia ipse unxit activè secundum divinitatem carnem suam in utero B. Virginis Mariæ assumptam omni plenitudine Deitatis, quæ verè in humana ejus naturâ habitat Col: II. 9. Deinde quia secundum humanam naturam unctus est passivè infinitis & verè divinis donis præter mensuram Joh: III. 35. & oleo lætitiæ Psal. XLV 8. h. e. ipso Spiritu S. Tandem quia omnes Christianos ungit etiam effectivè, ita ut omnes ex ejus plenitudine accipiant gratiam pro gratiâ Joh. I. 16. *Postremo iudicium dicitur quasi iudicium*, à dicendo jure: iudicis siquidem officium est secundum leges & juris præscripta dicere & ferre sententiam.

III. Homonymiam ut evolvamur, de singulis etiam vocabulis aliquid allegamus. *Vox adventus* sumitur, (1) *in sensu grammatico*, pro quolibet accessu, non habito respectu ad certum subjectum. Tribuitur enim Deo, sic Deus venit ad Abrahamum Gen. XVIII. 1. Item Angelis: ita Gabriel venit ad Mariam Luc: I. 28. Tribuitur etiam hominibus, bestiis, aliisque rebus. (2) *in sensu Ecclesiastico*, pro tempore certo antiquitus ante Nativitatis Festum instituto, ubi quidem habetur respectus subjecti, sed non attenditur certum objectum. Agitur enim hisce diebus de certo quidem adventu respectu subjecti, nimirum de Adventu Christi, sed non determinatur vel ad primū, vel ad secundum, vel ad tertium, quia Christiani de omnibus ex verbo Dei simul informantur (3) *in sensu Theologico*, ubi & subjectum & objectum certum



respicimus. Sic Adventus Christi triplex est. *Primus* in carnem; *Secundus* in corda: *Tertius* ad iudicium. *Ille* est ad homines; *Iste* in homines; *hic* contra homines. *Ille* nunciatus per Angelum, *iste* quotidie nunciatur per Ecclesiæ ministrum, *hic* nunciabitur per diem extremum. *Ille* fuit humilis & despectus, *iste* mirabilis & graciosus, *hic* horribilis & gloriosus; *Ille* factus in incarnatione, *iste* in regeneratione, *hic* in mundi consummatione. *Ille* factus per matrem virginem, *iste* per verbi præconem, *hic* per Angelorum clangorem. *Ille* consistit in conceptione & nativitate, in passione & morte, *iste* in spirituali Christi inhabitatione, & graciosâ Christi operatione, *hic* in hominum resurrectione, collectione & iudicatione. *Ille* peractus est olim in iudæâ, *iste* quotidie fit in Ecclesiâ, *hic* adhuc futurus in mundi *πανολεθρεια*. In primo venit ut Rex noster, in secundo venit ut legifer & Doctor noster, in tertio veniet ut iudex noster. Et ita scriptura ipsa hunc triplicem Christi adventum distinguere voluit *Esa. XXXIII. 22. Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster ipse salvabit nos.*

IV. Deinde vox *Christi* sumitur (1) *adjectivè* pro *uncto*, sic latè se extendit huius vocabuli significatio, quia omnes eos notat, qui olim in V T ad certum officii genus ungebantur. Quales erant (1) *sacerdotes* (2) *Prophetae* (3) *Reges*, Ut ita triplex Christi officium præfiguraretur, qui unctus est in Prophetam, sacerdotem & Regem nostrum. (2) *substantivè* & *κατ' ἐξοχὴν Ps. 11. 2. Adstiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus.* Et in hac significatione frequentissimè per totum N. T. usurpatur. Eademque accetio est huius loci.

V. Denique Vox *iudicii* h. l. non significat (1) *iudicium humanum*, quale ab hominibus in rebus humanis vel contra homines, vel pro hominibus administratur. Nam cum Christus non sit nudus homo, ideoque tale humanum iudicium hic locum invenire non potest. Præterea tale iudicium est huius mundi, sed Christi iudicium seculi alterius principium futurum est. Neque (2) *significat iudicium Angelicum*. Nam Angelis etiam tribuitur iudicium, quia illi cum Christo sunt venturi, eidem



eidem adstituri, homines à quatuor mundi plagis congregaturi, sententiam decisivam approbaturi, & tandem illam executuri: Verum quia hoc iudicium est creaturæ, non erit creatoris: quia erit iudicium ministeriale, non erit principale; quia erit iudicium testificatorium, non erit iudicium autoritativum. Sed (3) *iudicium divinum importat.* Nam quia Christus verus Deus est, divinum etiam iudicium ei convenire debet. Verum quia iudicium Dei iterum triplex est: *aliud in regno potentie, aliud in regno gratie, aliud in regno glorie,* non immeritò etiam hanc distinctionem allegamus. *In regno potentie* Deus iudicium suum exercet partim per omnium creaturarum conservationem, partim per totius universi gubernationem, partim per Magistratus institutionem & conservationem. Sed tale iudicium h. l. non est intelligendū, quia illud non futurum est in mundi conservatione & gubernatione, sed in ejus finali & totali consummatione. *In regno gratie* Christus iudicium suum administrat per legis revelationem, per gravissimas legis accusationes & reprehensiones, & per intolerabilem legis maledictionem & condemnationem: & id quidem facit, tum propter peccatorum agnitionem, tum propter nostram conversionem, tum propter piorum conservationem; sed nec tale iudicium h. l. accipiendum, quia hoc fit verbo, illud facto: hoc minis, illud pænis: hoc in Ecclesiâ militante, illud in Ecclesiâ triumphante. Relinquitur ergo hoc, quod de iudicio in regno gloriæ hic sit sermo.

VI. Denique adventus Christi ad iudicium, *alius ad iudicium fit particulare*: sic olim in paradiso apparuit Filius Dei Adamo, eumque propter peccatum commissum iudicavit Gen: III. 9. sic idem apparuit Abrahamo Gen: XII. 1. seq. ut iudicaret Sodomam & Gomorrham, reliquasque confines civitates, quas omnes igne & sulphure cælitus demisso consumpsit, ut ex Cap. XIX. est manifestum, qui propterea dicitur ab Abrahamo *judex universæ terræ* Gen: XII. 25. Ita sæpius Christus in certâ regione, in certâ civitate, in certâ domo ad iudicium venire solet, quando homines propter peccata commissa & atrocissima scelera penitus & radicitus quasi à terrâ extirpare videtur. *Deinde*  
*alius*



alius est Christi adventus ad iudicium universale, quando Christus rediturus est ad iudicandum omnes vivos & mortuos in novissimo die, de quo Christi adventu ultimo hic loci agimus.

VII. Explicatâ Etymologia & Homonymiâ, restat adhuc synonymia. Varia autem adventus Christi ad iudicium in sacris literis synonyma inveniuntur. Dicitur (1) *παρρησία* adventus *κατ' ἐξοχήν* non uno in loco, ut *Matth: XXIV. 3. Dic nobis, ajunt discipuli, quando hæc erunt? & quod signum erit adventus tuus & consummationis seculi.* Quod enim hic loci adventus ultimus sit intelligendus, probat *ἐκ θεοῦ* adjecta: quod hic adventus conjunctus sit cum ipsa seculi consummatione. *Sic V. 73. Sicut in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis.* Hic præter alia quæ ex textus *συνεπεία* possent allegari, pro nostro adventu saltem urgemus manifestam cum diebus Noe collationem & subjecti appellationem: dicitur enim Filius hominis; veniet autem ad iudicium quatenus filius hominis est *Joh: V. 27. Conf: V. 39. I. Cor: XV. 23. I. Thes: II. 19. Cap. III. 13. c. IV. 15. c. V. 23. II. Thes. II. 1. Jac: V. 7. 8. II. Pet: III. 4. I. Joh: II. 28.* Dicitur autem hic adventus *κατ' ἐξοχήν* ita (1) *ratione gloriose apparitionis.* Quia in multa gloria & majestate venturus est, non in infirmitate, sicut in primo suo adventu, qui etiam dicitur *παρρησία* *II. Pet: I. 16.* Præterea etiam visibiliter venturus est, non invisibiliter, in corpore, non in verbo & sacramentis, sicut fieri solet in spirituali appropinquatione. (2) *ratione pomposa & numerosa societatis:* nam omnes sancti Angeli venient cum eo *Mat: XXV. 31.* Non n. veniet pauper sicut in primo adventu *Zach: IX. v. 9.* neq; sine Angelorum comitatu ut in spirituali regeneratione & in habitatione *Ioh: XIV. 23* sed, uti dictum, omnes Angelos habebit comites: (3) *ratione universalis congregationis:* In primo adventu tantum ad judæos venit *Mat: XV. 24.* in secundo adventu tantum ad fideles *Joh XIV. 23* sed in hoc adventu ultimo congregabuntur ante eum omnes gentes *Mat: XXV. 32.* (4) *ratione æternæ felicitatis,* quæ ex hoc Christi adventu omnibus piis continget. Ut enim impii ibunt in supplicium æternum, ita justii in vitam æternam *Matth: XXV. 46.* (5) *ratione æternæ Christi visionis, in habitationis & conversationis.* In adventu primo Christum viderunt



runt pii & impii, conversatus etiam est cum Phariseis & discipulis, sed impiis visio & Phariseis conversatio sublata est per mortem: discipulis vero & visio & conversatio per ascensionem est subtracta. In spirituali adventu venit ad fidelem animam, quam inhabitat, eique & visionem & conversationem communicat: sed facile amittitur Christus, quia propter peccata amittitur fides & Spiritus S. Ast in futurâ post ultimum adventum vitâ perpetua erit Christi visio, perpetua ejus in cordibus nostris habitatio, perpetua nostra cum ipso in cælis conversatio. II. ἐπιφάνεια I. Tim: VI. 14. II. Tim: IV. 1. III. ἐπιφάνεια τῆς παρουσίας II. Th: II. 8. IV. ἐπιφάνεια τῆς δόξης ἔ μεγάλης θεῶ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ. Tit: II. 13. V. παρουσία τῆς ἑδέας ἡμέρας. II. Petr: III. 12. VI. ἀποκάλυψις ἔ χριστοῦ ἰησοῦ ἀπ' ἑρανοῦ I. Cor: I. 3. II. Thes: I. 7. I. Pet. I. 7. & 13. VII. ἀποκάλυψις τῆς δόξης χριστοῦ I. Pet: IV. 3. Sic & alia synonyma hujus adventus extremi passim legere possumus apud scriptores Biblicos, apud Doctores Ecclesiasticos & apud Theologos systematicos.

VIII. Absolutâ ὀνοματολογία ad πραγματαλογία nos convertimus: Ubi primo omnium se offert quaestio *An sit sc talis adventus Christi futurus?* Hic ex omni parte affirmativam facimus nostram, eamque indubiis confirmamus argumentis. De eo tamen adhuc dubium posset oriri, *An nimirum hic Christi adventus ad judicium ex lumine rationis possit cognosci?* Neg: & quidem (1) *ex articulorum fidei proprietate.* Cognoscuntur enim articuli fidei (purè tales) non ex naturali ratione, sed ex cælesti revelatione, non ex naturæ theatro, sed ex scripturæ libro, non ex sapientum placitis, sed ex Spiritus S. eloquiis, non ex poëtis & Philosophis, sed ex Prophetis & Apostolis. Nemo autem negare potest hunc extremum Christi adventum inter fidei articulos esse numerandum. (2) *ex Christi consideratione.* Est enim Christi adventus: De Christo autem nihil novit humanus intellectus sibi relictus, unde vere nulla est, secundum B. Chemnitium, naturalis nostra in rebus Theologicis cognitio. Nam sicut universa scriptura nihil aliud est quam perpetuum de Christo testimonium, ita etiam verè est adæquatum doctrinæ

B

illius



illius principium, adeoq; præter scripturam ne quidem verbum  
Philosophia de Christo novit. (3) *ex regula Theologica: Quæ su-  
pernaturaliter & fide divinâ creduntur, ea naturaliter & scientiâ  
humana non cognoscuntur.* Scio, inquit Jobus cap. XIX. 29. (non  
ex ratione, sed ex fide, neque ex naturâ, sed ex gratiâ, neque ex  
philosophia, sed ex Spiritus S. energia, neque apodicticâ scien-  
tiâ, sed firmissimâ & divinâ cordis fiduciâ, adeoq; non tam scio  
quam verè & firmiter credo) *quod Redemptor meus vivit, & in  
novissimo die (quando adjudicium venturus est Dominus) de  
terrâ (pervocem Domini advenientis: surgite mortui & veni-  
te ad judicium) resurrecturus sum. Et (virtute Domini mei) rur-  
sum circumdabor pelle meâ & in carne meâ videbo Deum. Quem  
visurus sum ego ipse mihi, & oculi conspecturi sunt & non alius* (4)  
*exprimi & secundi adventus analogia.* Sicut enim ratio nostra  
nihil novit de primo Christi in carnem adventu, ut pote qui ex  
solâ Dei revelantis misericordiâ cognoscitur: sicut etiam secun-  
dum Christi ad fidelium corda adventum penitus ignorat hu-  
mana ratio, nec ullum de eo verbum, nedum argumentum ali-  
quod firmum afferre potest: ita etiam se res habet de ultimo  
Christi ad judicium adventu, nihil hîc novit, adeoque etiam ni-  
hil probat humana ratio.

IX. Hoc remoto dubio, clarum evadit non ex philosophia,  
sed ex solâ Theologia argumenta pro hujus adventus certitudi-  
ne esse advocanda. Hæc autem argumenta in certas classes di-  
stribuimus, & omnem rem ordine & perspicuè proponimus.  
**I.** *Classis* continet perspicua scripturæ dicta. In his vero alle-  
gandis *Augustini* observamus methodum, qui cum de extremo  
judicio l. XX. C. D. c. 4 testimonia vellet producere, primo N.  
T. posteriori V. T. dicta ponebat loco. Neq; illud sine ratio-  
ne fecisse videtur, sed ordinis sui hanc affert causam. *Quamvis,  
inquit, V. T. oracula priora sint tempore, nova tamen anteponenda  
sunt dignitate, quoniam illa vetera præconia sunt novorum. No-  
va igitur ponenda sunt prius, quæ ut firmitus probemus, assumantur  
& vetera. In veteribus habentur lex & Propheta, in novis Evan-  
gelium & Apostolica literæ. Hunc & ipse Jesus Christus ordinem  
servandum esse demonstrans: scribit, inquit, eruditus, in regno  
Dei*



Dei similis est viro patri familias proferenti de thesauro suo nova  
& vetera. Non dixit vetera & nova, quod utiq; dixisset nisi ma-  
lisset meritorum ordinem servare quam temporum. Accedit  
huc, quod N. T. dicta longè sint clariora, quam ea quæ in V. T.  
sunt annotata. Claritas autem dictorum N. T. eo majorem  
lucem dictis V. T. conciliat. Ex Evangelistis producimus, I. Mat-  
thæum cap: XVI. 27. Filius hominis venturus est in gloriâ patris  
sui cum Angelis suis & tunc reddet unicuiq; secundum opera ejus cap:  
XXIV. 30. Tunc apparebit signum Filii hominis in cælo & tunc  
plangent omnes tribus terra, & videbunt Filium hominis venien-  
tem in nubibus cæli cum virtute & gloriâ magnâ. cap: XXVI. 64.  
Dico vobis a modo videbitis Filium hominis sedentem à dextris vir-  
tutis Dei & venientem in nubibus cæli. II. Marcum: cap: VIII. 38.  
Quem puduerit mei & sermonum meorum in generatione hâc adul-  
terâ & peccatrice, pudebit illius & Filium hominis, ubi venerit  
in gloria Patris sui cum Angelis sanctis. cap: XIII. 26. Et tunc vi-  
debunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multâ  
& gloriâ cap. XIV. 62. Jesus autem dixit illi: Ego sum: & videbitis  
Filius hominis sedentem à dextris virtutis & venientem cum nu-  
bibus cæli III. Lucam: cap. IX. 26. Qui erubuerit me & sermo-  
nes meos, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate  
suâ & Patris & sanctorum Angelorum, cap: XVII. 24. Sicut fulgur  
coruscans è regione quæ sub cælo est, in alteram quæ sub cælo est,  
fulget: ita erit Filius hominis in die suo. Quidam h. l. de illo Chri-  
sti adventu explicant qui est prædicationis, quia v. 22. præce-  
dit: venient dies, quando desiderabitis videre unum diem Filii ho-  
minis, & non videbitis. Verum quod optimè explicetur etiam  
de glorioso Christi ad iudicium adventu, patet (1) ex Christi cõ-  
suetudine: Qui sæpius præsentia cum futuris, adventum præ-  
dicationis & iudicii conjungebat, ut videre est apud Mat: XXIV.  
& alibi. (2) ex objecti consideratione. Quia loquitur Christus  
hæc verba non ad Phariseum, cujus interrogationem jam v. 20.  
& 21. resolverat, sed ad discipulos, sicut difertis verbis dicitur  
v. 22. Et ait ad discipulos suos: venient dies, quando desiderabi-  
tis videre unum diem Filii hominis & non videbitis. Hæc igitur  
verba si pntâs explicantur, non tam commodè de prædicatio-



nis, quam de liberationis adventu intelliguntur. Nam aliàs se-  
queretur, Apostolos etiam post passionem Christi & ascensio-  
nem ejus desiderasse adventum prædicationis, nec tamen illum  
vidisse, id quod actis Apostolicis videtur contravenire: contra  
vero sæpius diem Christi ultimum videre Apostoli voluerunt,  
nec tamen ipsum viderunt. (3) *ex fulguri appellacione*, fulgur n.  
non semel cum ultimo Christi adventu in sacris literis compa-  
ratur & quidem (1) *ob naturam*, quæ ignea est: sic etiam igne in  
ultimo Christi adventu omnia dissolventur. (2) *ob velocitatem*,  
quæ momentanea est: sic etiam Christi adventus erit velocissi-  
mus, erit momentaneus. (3) *ob originem*, sicut fulgur solius Dei o-  
pus est: ita adventus hic Christi ad iudicium solius divinæ po-  
testatis est: sicut fulgur cælitus venit, ita etiam Christus è cælis  
rediturus est: sicut fulgur in nubibus conspicitur & ex nubibus  
à nobis videtur: ita etiam Christus in nubibus apparebit & ex  
illis à nobis videbitur. (4) *ob universalitatem*, sicut fulgur in o-  
mnia ea, quæ sub cælo sunt, fulget: ita adventus Christi glorio-  
sus etiam in omnia ea, quæ sub cælo sunt, fulgebit. (4) *Ex Em-  
phaticâ locutione*: *Ita erit Filius hominis in die suo*: De unâ die lo-  
quitur, quæ κατ' ἐξοχήν quasi Filio hominis adscribitur. Hæc  
autem dies plerumq; diem adventus Christi ad iudicium in sa-  
cris notat: (5) *ex temporis descriptione*: v. 25. *primum autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac*. Passio er-  
go, quam sustinuit Christus in carne, debuit præcedere: repro-  
batio etiam, quæ optimè de Christi prædicatione & verbo ex-  
plicatur, itidem debuit prius ab hac generatione fieri (6) *ex hu-  
jus diei cum temporibus Noe & Loti comparatione*, v. 26. & seq.  
quæ collatio licet hic uberius non possit exponi, tamen ex ipso  
textu satis clare patet, quod de extremo Christi adventu hæc di-  
cta sint intelligenda. (7) *ex Matthæi applicatione*. Matthæus e-  
nim cap. XXIV. v. 27. eadem verba recitat, & tam in præceden-  
tibus quam in sequentibus ad adventum Christi ultimum appli-  
cat. Multis hoc ipsum possemus ostendere, nisi brevitati in  
hac quæstione deberemus studere. Sic Chrysostomus hom: 77. in  
Matthæum: *Quomodo fulgur, ut videatur, non indiget præcone  
aut nuncio, sed in momento temporum omnibus apparet: sic adven-  
tus ille ubiq; splendens statim videbitur*. Et Osiander super h. l. Luca  
ita



ita explicita: Quemadmodum fulgur simul & semel caelum & terram illuminat, ita ego simul & semel in novissimo meo adventu me toti mundo ostendam in gloria & Majestate ineffabili. Hæc de illo loco, qui à quibusdam in dubium vocatur. Luc. XXI. 27. *Virtutes calorum movebuntur; & tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ & majestate.* Et v. 36. *Vigilate itaq; omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.* Item v. 34. & 35. *Cavete autem vobis ne quando graventur corda vestra crapulâ & ebrietate, & curis hujus vitæ, subitusq; vobis ingruat dies ille. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem totius terræ.* IV. Johannem. cap: V. 27. *Pater dedit ei (Filio) potestatem judicium faciendi, quia Filius hominis est.* Augustinus l. XX. C. D. c. 6. hic ostendit, quod in eâ carne veniet judicaturus, in quâ venerat judicandus: ad hoc enim ait, quia Filius hominis est cap: XIV. 3 *Si abiero & præparavero vobis locum, iterum venio & accipio vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* De hoc etiam loco non una est Doctorum sententia. *Quidam accipiunt de illo Christi reditu ad discipulos, qui factus est in hoc mundo, statim post resurrectionem: verum si paulo plenius locum introspicimus, potius nostrum Christi adventum esse intelligendum colligimus. Breviter saltem summa notamus capita: patet illud (1) ex domus patris sui allegatione; illum enim reditum intelligit Christus, qui ex domo Patris si, deoq; reditus post Christi indomum Patris ingressum est intelligendus, qui non potest de reditu post resurrectionem explicari. (2) ex Christi preparatione; quia inde redire dicitur, ubi nobis loca præparavit, ergo reditum ex cælis intelligere videtur. (3) ex reditus iteratione; Iterum venio: q. d. non tantum venio post meam resurrectionem, sed iterum venio, nimirum visibiliter in die novissimo summa cum majestate, sicut Osiander illa verba explicat. (4) ex Apostolorum assumptione; Non enim Apostolos post resurrectionem secum assumpsit, sed quando in novissimo advetu rediturus est, eorû corpora resuscitabit, & omnes fideles sibi associabit, ita, ut ubi ipse est, & illi sint. (4) ex Apostoli explicatione; Paulus enim I. Thes: IV. 16. 17. interpre-*



tem agit horum verborum dicens: quoniam ipse Dominus cum  
jubilatione & in voce Archangeli descendet de celo: & mortui qui  
in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos, qui vivimus, qui re-  
liqui erimus, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in  
aera, & sic semper cum Domino erimus. Et hanc explicationem  
verborum Christi tradit etiam Hieronymus l. 2. adv. Jovin. Et  
locus & mansiones, quas preparare se dicit Christus Apostolis, in domo  
utiq; patris sunt, i. e. in regno caelorum, non in terra, in qua praesens  
Apostolos relinquebat. Job: XXI. 12. videtur etiam Christus sui  
reditus mentionem facere dum dicit Petro: si eum (Johannem)  
volo manere, donec veniam, quid ad te? omnes enim Apostoli  
hunc adventum Christi intelligebant, & Johannem non mo-  
riturum esse colligebant. Licet autem ipse Johannes hoc po-  
sterius non approbaret: quia statim subjungit: Et non dixerat  
ei Jesus: Non moritur. Prius tamen non volebat negare,  
sed potius hujus adventus mentionem geminare: sed si vo-  
lo eum manere, donec veniam, quid ad te? scilicet corrigit  
Christus Petri curiositatem, & confirmat adventus sui veritatem.

X. Ex Actis Apostolicis producimus Cap: I. 11. Viri Galilaei  
(dicunt Angeli) quid statis aspicientes in caelum? Hic Jesus qui  
assumptus est a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis  
eum euntem in caelum. Ex Epistolis Paulinis potissimum  
I. Thess. IV. 15. qui residui erimus in adventum Domini, nequaquam  
preveniemus eos qui dormiunt &c. Item cap: V. 2. seq. vers. 23.  
II. Thess: I. 6. 7. 10. Cap: II. 8. Col: III. 4. I. Tim: VI. 14. Plura  
tam ex Epistolis Apostolorum, tum ex Apocalypsi colligere  
possemus dicta, nisi haec & numero essent plura & pondere ple-  
na.

XI. Ex V. tandem T. multa etiam possemus cumulare  
spiritus S. effata, ultimum Christi adventum illustrantia &  
confirmantia: sed quia praeter opinionem creverunt N. T. di-  
cta, unum saltem allegamus ex Psal. L. 1. Deus Deorum Domi-  
nus locutus est, & vocavit terram a Solis ortu usq;: De Sion perfe-  
ctam pulchritudinem splendere facit: Veniet Deus noster & non file-  
lebit: ignis coram eo vorabit & in circuitu ejus tempestas excitata  
est vehementer, advocabit ad calos desuper & ad terram, ut iudicet  
popu-



populum suum. Congregate mibi sanctos meos ferientes pactum  
meum super sacrificium & nunciabunt caeli justitiam ejus, quod Deus  
judex ipse. David quidem h.l. de particulari & spirituali judi-  
cio, quod Deus in hac vita exercet, agere videtur, optimam ta-  
men ratione adhuc etiam adventum, qui in novissimo die  
ad judicium futurus est, referri potest. Explicat enim hic (1)  
adventus hujus Dominum, v. 1. יהוה יהוה אל אלהים אל Vulg. redd.  
Deus Deorum Dominus: Alii, fortis Deus Dominus. Utraque expli-  
catio respicit Salvatorem nostrum. Est enim hic Deus Deorum  
phrasi Hebr. i. e. Deus omnium altissimus & gloriosissimus. Est  
Deus Elohim, i. e. Angelorum, hominum, imò omnium crea-  
turarum. Est Deus, qui ex tribus Elohim nobiscum loquitur v. 1.  
Fortis etiā est Deus fortitudine tum essentiali, quoad divinitatē  
quia essentialiter ipsa est fortitudo: fortis est fortitudine per-  
sonali secundum humanam naturam: quia Dan: VII. 13. cum nu-  
bibus caeli qs. filius hominis veniebat, & usq; ad antiquum dierum  
pervenit. v. 14. & dedit ei potestatem & honorem & regnum, & om-  
nes populi tribus & lingua ipsi servient, potestas ejus potestas aeter-  
na, quae non conferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur. Sic  
clamore jubilationis clamat Ecclesia triumphans Apoc: XII.  
10. Nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas  
Christi ejus. Fortis denique est fortitudine salutari, quā nobis  
omnibus salutem offert & confert, & omnes nostros hostes  
spirituales vincit. Est etiam Elohim, quia ipse cum Patre &  
Spiritu S. ab initio mundum creavit Psal XXXIII. 6. Joh. I. 12.  
ex Gen. I. 3. seq. Est denique Jehova, verus cum Patre &  
Spiritu S. atque essentialis Deus. Et ne aliquis hic dubitare  
posset, de quā personā sit sermo, cum & Pater sit אל אלהים יהוה  
& Spiritus S. similiter ita vocetur, ideoque multis magis  
hanc appellationem ita applicat, ut commodissimè de Fi-  
lio possit explicari. Et v. 3. expressè eum nominat אל יהוה  
Deum nostrum, Deum nobiscum, Deum Immanuel, qui Solus  
est Filius. (2) adventus scopum quare Dominus veniat: Locutus  
est, & vocavit terram, i. e. homines in terrā viventes. Loque-  
tur enim Christus in extremo suo adventu. 1. mortuos ex sepul-  
chris



*bris excitando: surgite mortui. 2. vivos cum mortuis advocando: Venite ad iudicium. 3. sententiam decisivam coram vivis & mortuis recitando. Vid: Mat: XXV. 34 seq: (3) adventus proprium: quod futurus sit universalis, vocabit enim terram à Solis ortu usq; ad occasum, & ab omnibus quatuor mundi plagis Mat. XIII. 39. (4) adventus locum: De Sion i. e. decælis venturus est Dominus. (5) adventus gloriã: perfectam pulchritudinem Deus splendere faciet, i. e. ut explicat Math: XXIV. 30. apparebit cum gloriã & maiestate magnâ. (6) Adventus certitudinem: Veniet Dominus & nõ emanabit, quia Dominus noster est, noster nostra caro, noster redemptor & liberator. (7) frater adventus præconium: Non silebit: quia cum classico Dei & tubâ, cum omnibus Angelis & Archangelis de cælo descendet I. Thess: IV. 16. (8) adventus modum. Ignis in conspectu eius exardescet. Christus enim in igne venturus est ad ultimum iudicium, quia cæli igne solventur, & elementa calore liquecent. II. Pet. III. 10. & cum flammâ ignis patefiet II. Thess. I. 8 circa eum, pergit Psaltes, tempestas magna, audientur enim horribilia tonitrua, ut in primâ legis promulgatione, ita etiam in ultimâ legis & pœnarum eius executione. (9) adventus ibonum: In circuitu eius tempestas valida. In tempestate sunt tonitura & fulgura. Item imbres & grandines &c. omnia autem hæc in nubibus. Et quia hæc erunt in circuitu eius, ipse etiam in nubibus venturus est, nam alias non posset hæc tempestas valida esse in circuitu eius. Atqui Christus dicitur venturus in nube Luc. XXI. 27 in nubibus Marc: XIII. 26. cum nubibus Marc: XIV: 62. &c. (10) adventus objectum: ad quos venturus sit, v. 4. Advocabit in resurrectione mortuorum cælum i. e. eos, qui sunt in cælo, & terram. h. e. eos, qui vel dormiunt, vel vivunt in terrâ, ut iudicet populum suum. (11) adventus ministros: qui sunt Angeli, qui congregabunt tam omnes homines, præcipuè vero sanctos, v. 5. congregate scilicet vos Angeli mihi omnes homines, ut iudicetur secundum opera in conspectu omnium creaturarum: imprimis autem segregate mihi sanctos meos ab hædis damnatis, & congregate eos tanquam triticum in cælestia horrea, quia curaverunt fœdus meum magis quam sacrificium. Veniet enim cum omnibus sanctis Angelis tanquam*



tanquam testibus, satellitibus & ministris, ut passim in sacris dicitur. (12) *adventus eventum*: v. 6. & *annunciabunt* in omnes aeternitates *caeli*, & imprimis illi, qui in caelis sunt, *justitiam ejus*, & Dominum in perpetuum laudabunt & glorificabunt. (13) *totius hujus tractationis principium*. Haec autem omnia propterea fient, *quoniam Deus judex est*. Dominus Deus fortis loquetur, quia judex est. Vocabit terram a solis ortu usque ad occasum, quia judex est. De Sion perfectam pulchritudinem splendere faciet, quia judex est. Deus noster non silebit, sed cum maximo clangore ad iudicium redibit, quia judex est. Ignis vorans erit in conspectu ejus, quia judex est &c. Vid: Gerh: Tom: 9 de extrem. jud. §. 12.

XII. *Altera Classis comprehendit testimonia*. Princeps enim adventurus solet sui adventus certos testes atque praecones adhibere, ut adventus sui certitudinem omnibus manifestam faciat. Et quo majores sunt testes, tanto major etiam fides verbis adhibetur. Hic habemus testes omni exceptione majores. Habemus testem hujus adventus (1) *Deum Patrem Act: XVI. 1. 30. seq. Deus (Pater) nunc annunciat hominibus* (non tantum mediis, quibus adventum Filii possunt fidei constantiam expectare, & hilari animo eundem singulis momentis exoptare, nim:) *ut omnes ubique agant penitentiam* (sed etiam annunciat omnibus ipsam, Filii sui adventum ad ultimum mundi iudicium) *eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in justitiam per virum* (Filium hominis Joh: V. 27.) *per quem decrevit* (omne iudicium facere) *fidem offerens omnibus, postquam suscitavit eum a mortuis.* (2) *Deum Filium, partim ante incarnationem Esa: XLV. 23. per meiss. m. juravi, ait Dominus, & exiit de ore meo verbum justitiae, & non revertetur, quod mihi* (in ultimo meo ad iudicium adventu) *curvabitur omne genu.* Nam Rom: XIV. 11 Paulus hoc vaticinium & ad Christum & ad adventum ejus ultimum applicat. Et cap: LXVI. v. 15. 16. 17. Haec dicit Dominus: *Ecce Dominus in igne veniet &c. Ego enim opera eorum & cogitationes eorum, venio ut congregem cum omnibus gentibus & linguis, & venient & videbunt gloriam meam.* Partim post incarnationem, in statu humiliationis Mat: XXIV. 30. & alibi passim. Partim post exaltationem

C

nem



*nem Apoc: XXII. ut supra est explicatum. (3) Deum Spiritum  
 Sanctum. Huic enim tot scripturæ effata sunt tribuenda, quor  
 ab omnibus scriptoribus sacris sunt consignata ex illo II. Pet: I.  
 21. (4) Angelos Act: I. 11. Hic Jesus (dicunt duo viri, id est Angeli  
 in vestibus albis) qui assumptus est à vobis in calum, sic veniet,  
 quemadmodum vidistis eum euntem in calum (5) Patriarchas. Jud:  
 14. Prophetavit autem & de his septimus ab Adam Enoch, dicens:  
 Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis, facere judicium, con-  
 tra omnes & arguere omnes impios, de omnibus operibus impieta-  
 tis eorum &c. Sic absque dubio etiam de his prophetavit Enos,  
 cujus tempore captum est invocari nomen Domini Gen: IV. 26. Et  
 Abraham ipsi Filio Dei sub formâ Angeli apparenti dicit: Gen:  
 X. IX. 25. quod sit judex universæ carnis. (6) Prophetas. Esa: III. 13.  
 stat ad judicandum Dominus & stat adjudicandos populos. Domi-  
 nus adjudicium veniet cum senibus populi & principibus ejus. Vid:  
 cap: XXVI. 21. Zach: XIV. 5. &c. (7) Reges. David Psal. IX. 9. Do-  
 minus paravit ad judicium thronum suum: & ipse (in adventu suo  
 glorioso) judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in  
 justitia. Psal. L. 3. seq. Psal. XCVIII. 9. Salomon Eccl: III. 17. ju-  
 stum & impium judicabit (in ultimo suo adventu) Dominus. cap:  
 XI. 9. cap: XII. 13. (8) Evangelistas, ut passim legimus in scriptis  
 eorū (9) Apostolos, ut ex actis & Epistolis Apostolorū est manife-  
 stum (10) Tandem etiam longam seriem testimoniorum ex Pa-  
 tribus, aliisque Doctoribus possemus adjungere, si res ipsa vi-  
 deretur illa postulare. Saltem hîc totius Ecclesiæ consentien-  
 tem confessionem allegamus, tum ex symbolo Apostolico, quod  
 Jesus Christus inde (ê cælis) venturus sit, ut judicet vivos &  
 mortuos. Tum ex symbolo Nicenō: Christus iterum venturus est  
 cum gloriâ judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis.  
 Tum ex symbolo Athanasiano: Christus inde venturus est judicare  
 vivos & mortuos, ad cujus adventum omnes homines resurgent cū  
 corporibus suis, & reddaturi sunt de factis propriis rationem.*

XIII Tertia etiam jam classis posset prolixè adventum Chri-  
 sti probare (1) ex firmis ab analogiâ fidei petitis argumentis (2)  
 ex manifestis particularium judiciorum exemplis. (3) ex nervo-  
 sis typis, figuris & parabolis. Sed illa hoc loco omittimus, & ob  
 brevitatis studium his, quæ jam dicta sunt, contenti sumus.



XIV. Fundatâ & confirmatâ adventus hujus ultimi existentiâ, pergimus jam ad ejusdem essentiam. Illa autem melius explicari nequit, quam per ejusdem definitionem, & per causarum explicationem. Causas hîc præmittimus, ut naturam hujus adventus eò planius & plenius proponamus. Et deinde definitionem causalem ex ipsis causis constituimus.

XV. Causa primo sese nobis offert *Efficiens*, quæ triplex est: *Principalis*, *Ministerialis* & *Instrumentalis*. *Principalis* est ipse, *Deus unus essentiâ, personis trinus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus*. Tribuendus autem hic adventus Deo, partim *conjunctim*, partim *distinctim*. *Conjunctim* totius SS. Trinitatis officium & beneficium est hunc adventum instituire, id quod probatur, *tum ex primi & secundi adventus analogiâ*. Nam quod primum concernit adventum, in eo venit Filius Dei, sed non sine Patre venit, non etiam sine Spiritu S. venit. Res est clara, *partim ex Christi conceptione* Luc: I. 35. *Spiritus S. superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideo, quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ubi totius SS. Trinitatis mysterium explicant & conceptioni applicant Doctores. Per vocem *Altissimi* enim *Deum Patrem*, qui est prima Trinitatis persona, intelligunt, cum hic in cælis habitare dicatur Luc: XI. 2. Per *virtutem* intelligunt *Dei Filium*, qui essentialis Dei virtus est, *Patris potentia* I. Cor: I. 24. & *Dei dextra*, ut passim in sacris appellatur Gen: XLIX. 3. Deut: XXI. 17. Per *Spiritum S.* tertia Trinitatis persona intelligitur. *Partim ex Christi baptisate*: ubi Pater cælestis auditur in voce, Spiritus S. videtur in specie columbæ, & Filius stat in Jordane Mat: III. 16 17. Quid autem aliud est ista apparitio, quam *solennis Christi ad officium Propheticum in auguratio*, & totius SS. Trinitatis ad homines appropinquatio? *Partim ex Christi transfiguratione*, præcedebat Christi passionem Mat: XVII. 5. seq. Ibi pater iterum auditur in voce, Spiritus S. videtur in nube, & Filius coram Apostolis stat cum Elia atque Mose. Quia autem Christus collocutus est cum Mose & Eliâ de suo, quam Hierosolymis habiturus erat, adventu, videtur hic facta *Solennis Christi ad officium sacerdotale in auguratio*, & reiterata totius SS. Trinitatis ad homines appropinquatio. Idem  
C 2 etiam



etiam ex Joh: XX. 21. colligimus, quod idem factum sit in *in-*  
*thronisatione hristi ad officium regium*. Cum enim Christus  
ascensurus esset caelum, regium officium potenter suscepturus,  
& primum suum in his terris visibilem adventum sublaturus,  
apparuit dicens: *Pax vobis: sicut misit me Pater & ego mitto vos.*  
*Et hoc cum dixisset, insufflavit & dicit eis: Accipite Spiritum S.*  
*&c.* Pater eos mittit per Filium: Filius dicit: ego mitto vos: Spi-  
ritus S. etiam per insufflationem corda Apostolorum ingredi-  
tur. *Deinde* nec de secundo adventu Christi hoc ipsum potest  
negari, quod ibi etiam tota SS. Trinitas sit praesentissima. U-  
num saltem brevitatis ergo allegamus locum ex Joh: XIV. 23. *Si*  
*quis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum,*  
*& ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Ne autem  
quis existimaret Spiritum S. esse excludendum, mox v. 26 addit:  
*Paracletus autem Spiritus S. quem mittit Pater in nomine meo, ille*  
*vos docebit omnia, quae dixi vobis.* Sicut igitur primus & secun-  
dus adventus totius SS. Trinitatis negotium est, ita de tertio ad  
iudicium reditu, ut aliud quippiam sentiamus, Christiana pro-  
hibet religio.

XVI. *Tum ex operum ad extra οὐχονομία.* Opera enim ad  
extra sunt indivisa, & toti SS. Trinitati communia, quae solen-  
nis & communis est totius orthodoxae antiquitatis confessio.  
Jam quia adventus Christi ultimus erit opus ad extra, siquidem  
Deus veniet non ad seipsum, neque contra seipsum, sed ad cre-  
aturas veniet & contra creaturas, ideoque etiam hic adventus  
verum erit opus ad extra, h. e. ad externas creaturas extra Deum  
existentes. Veniet Deus contra totum hoc universum, illud in  
igne furoris sui resolvendo, veniet contra Diabolos, eos aeternis  
suppliciis accensendo, veniet contra omnes impios, eos cum  
Diabolis igni infernali adjudicando. Veniet creator ad crea-  
turas, eas a vanitate & abusu impietatis liberando Rom: VIII. 21.  
Veniet ad pios defunctos, eos ex terrae pulvere resuscitando &  
animas cum corporibus confociando Joh: V. 29. Veniet etiam  
ad fideles adhuc viventes, eos a persecutionibus & omnibus mi-  
seriis eripiendo & aeternum cum omnibus Angelis & beatis glo-  
rificando I. Thes: IV. 17. Et licet hic adventus Christi visibilis  
sit



fit futurus, & solus Christus visibiliter fit appariturus, non tamen hæc apparitio Patri & Spiritui S. opponenda, sed invisibilis etiam Patris & Spiritus S. cum Filio *περιχώρησις* & immanentia h. l. subintelligenda: id quod *οικονομία* operum ad extra sibi postulare videtur. Pater dicitur creare, sed non absq; Filio Joh: I. 3. neque absque Spiritu S. Psal. XXXIII. 6. Spiritus S. dicitur sanctificare, sed non sine Patre & Filio: Ita etiam Filius in extremo iudicio dicitur adventurus, sed non absque Patre & Spiritu Sancto. *Ille* enim omne iudicium dedit Filio Joh: V. 22. adeoque ab adventu ad iudicium non est excludendus: *hic* vero Spiritus S. *spiritus iudicii* disertis verbis nuncupatur Esa: IV. 4. unde nec ipse penitus ab hoc adventu abesse poterit.

XVII. Alia etiam hinc argumenta possemus multis urgere, & ex sacris literis hoc ipsum defendere, quod tota SS. Trinitas huius adventus causa efficiens principalis sit futura: sed res est ex dictis clara, & multa sunt explicanda. Breviter tamen adhuc allegamus *juris divini excellentiam & competentiam*. Is enim ad iudicium principaliter potest venire, qui jus exercet in omnes creaturas. Atqui hoc est totius SS. Trinitatis opus, ut constat (1) *a creatione* (2) *a creaturarum conservatione* (3) *a creaturarum gubernatione* (4) *ab hominum redemptione* (5) *a voluntatis divinæ revelatione* (6) *ab hominum multiplicatione*. Quia tanta est hominum multitudo, ut finitæ haut possit esse potestatis, omnes examinare; omnium cogitata dicta & facta cognoscere etiam infinitæ est scientiæ. (7) *ab hominum resurrectione*. Qui enim omnes homines resuscitabit, ille etiam venturus est. Atqui illud est opus Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti. Plura hinc non addimus.

XVIII. Sigillatim etiam tribuitur hic adventus. I. *Deo Patri*, & quidem (1) *ratione temporis*: quia diem adventus constituit Act: XVII. 30. non tantum respectu æternæ prævisionis, quia ab æterno hunc diem prævidit, sed etiam respectu certissimæ revelationis, quia passim per prophetas & Apostolos, imo per ipsū Filium hunc diem nobis in sacris literis revelavit: itemq; respectu futuræ executionis, quia non vana erit illa revelatio, sed in-



fallibiliter suo tempore secutura est iudicii administratio. (2) *ratione actus judicialis*: quia ipse in hoc die constituto iudicaturus est orbem in æquitate. Iudicium enim hoc æquissimum, & iustissimum Deo Patri sæpius in sacris adseribitur, & quidem (1) *in visione* Dan: VII. 9. *throni positi sunt & antiquus dierum sedet, nimirum ad iudicandum.* (2) *ex appellatione* Esa: XXXIII. 22. *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster.* Licet enim hoc dictum adventum Christi triplicem ostendat, interim ab aliis etiam ita explicari solet, quod trina vocis Jehovæ repetitio sit SS. Trinitatis revelatio, & nomine Jehovæ iudicis intelligi Deum Patrem, sicut Jehova legifer noster indicat Spiritum S. Jehova Rex noster Salvatorem nostrum Christum Jesum (3) *ex Christi assertionem.* Joh: V. 50. *Est qui requirat & iudicet videlicet Pater meus cælestis, ut ex v. 49. colligitur.* (4) *ex Parabolicâ explicatione*: Nam Mat: XXII. 12. Rex cælestis, qui nuptias Filio suo paraverat adventu suo partim convivas exhilarat, partim iusto suo iudicio condemnat, dum ad carentem veste nuptiali hanc severam dicit sententiam: *Amice, quomodo huc intraisti, non habens vestem nuptialem?* Et cum obmutesceret, dixit ministris: *ligatis pedibus & manibus ejus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* (3) *ratione iudicis*: Dicit enim Apostolus cit: loc: Act: quod *per virum sit iudicaturus in quo decrevit.* Deus Pater iudicem hunc decrevit. 1. *æterno suo consilio*, quia ab æterno in Christo nos elegit Eph: I. 4. 2. *Externo S. Scripturæ verbo*: quia hunc iudicem nominavit, ordinavit, & omnibus hominibus manifestavit. Unde Abraham jam suo tempore cognovit, quod Filius Dei sit *iudex universe terræ* Gen: XVIII. 25. Imo quod Epistola judæ v. 14. testatur, etiam ante diluvium hæc denominatio & manifestatio fuit nota, quia *septimus ab Adam Enoch* sc: de hujus iudicis adventu vaticinatus est, non aliter ac si aduentum hunc apertis oculis vidisset, & Christum cum sanctis millibus suis conspexisset. 3. *interno divinæ potentie, scientiæ aliorumque divinum axiomatum dono.* Nisi enim his divinis attributis hic vir esset instructus, non posset universalis iudicis officio fungi. Quia autem Pater neminem iudicat, sed omne iudicium dare voluit



Voluit Filio Joh: V. 27. ideo Filio dedit potestatem iudicium facere, quia Filius hominis est v. 27.

XIX. II. DEO FILIO, & quidem (1) *respectu divinæ nature.* Hæc enim ab illo adventu neutiquam est excludenda, si enim ea abesset, sola humana natura iudicii hujus universalis officium suscipere non posset. Est autem divina natura Christi adventus hujus causa principalis 1. *propter intimam cum Patre consociationem: Ego, inquit ipse, & Pater unum sumus Joh: X. 30.* Quia vero Deo Patri adventus hic tribuitur, nequaquam Filio est denegandus. 2. *propter indivisam totius SS. Trinitatis in rebus divinis potentiam: Joh: V. 17. Pater meus usq; operatur, & ego (eadem sc. potentia usq; modo) operor.* 3. *propter perpetuam operationis convenientiam: v. 19. Quæcunq; Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit. Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit &c.* (2) *respectu humane nature:* Nam Christus etiam secundum eam est causa efficiens principalis adventus sui. 1. *illum annunciando: Mat: XVI. 27. cap: XXIV: 30. & alibi.* 2. *eum per Apostolos suos toti mundo revelando.* Sicut enim alia divinæ revelationis capita Judæis & gentibus jussu salvatoris nostri prædicarunt, ita etiam hoc ipsum de extremo Christi adventu dogma omnibus diligenter & fideliter inculcarunt, ut passim ex libellis Apostolicis dicta manifesta testantur. 3. *certissimos hujus adventus nuncios remittendo.* Cum enim visibiliter ascendisset ex Apostolorum conspectu in cælum, statim misit duos Angelos, qui jussu Christi certissimâ assertionem adventum hunc confirmarunt Act: I. II. 4. *Ex amore erga nos nostramq; salutem adventum maturando & dies ab breviando: Mat: XXV. 22. Nisi breviati fuissent illi dies, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.*

XX. III. DEO SPIRITUI SANCTO tribuitur hic adventus (1) *propter appellationem,* quia dicitur *spiritus iudicii* Esa: IV. 4. Dicit autem requirit inesse; & quia iudicaturus est, etiam ad iudicium (divino tamen modo) advenire dicitur. (2) *propter operationem.* Quia per verbum in hominibus & cum hominibus contendit, disceptat, ac adventum Christi observare mandat Vid. Gen. VI. 3. *Qui autem adventus hujus expectationem in nobis*



nobis excitat, nostra corda ad vigilantiam fulcit, & impatientes propter socordiam verbis castigat, factisq; fatigat, ut diligentiores sint in adventus hujus expectatione, meditatione & apprehensione, ille etiam hujus adventus erit causa, & cum hoc faciat principaliter Spiritus S. ejus etiam principalis erit causa. (3) propter Christi assertionem: Joh: XVI. 8. *Cum venerit Spiritus S. arguet mundum de peccato & de justitia & de judicio.* Hoc quidem in hac vitâ inchoatur, in extremo a. die confirmabitur: in hoc seculo fit particulariter, tunc vero fiet universaliter: in hoc seculo fit per verbum, ibi autem fiet per verum sensum: hic in judicii revelatione, ibi in judicii executione.

XXI. Causa ministerialis adventus Christi non est (1) *Humana Christi natura*, ut volunt Calvinisticae sectae assertores. Hi enim ut in alijs quærunt humanæ naturæ cum alijs hominibus conformitatem, ita etiam de hoc glorioso Christi adventu non recto incedunt gressu, sed eam non causam principalem, verum tantum ministerialem futuram asserunt. Nam *Admonitio Neostad. de Formulâ concord. p. 21.* hæc affert verba: *Humana Christi natura de celo descendet in nube, conspicietur in gloriâ testante in eâ habitantem Deitatem & feret sua voce sententiam extremi judicii; Divina inspiciet & manifestabit omnium corda & conscientias, dictabit & exequetur sua potentia latam sententiam.* Quod enim his in verbis Humanam naturam ad causam ministerialem referant, patet. 1. *Ex Humana natura in sensu Calvinistico acceptione.* Est enim illa actionum divinarum non causa principalis propter unionem personalem, sed saltem *ὄργανον* & instrumentum, quia, ut *collocutores Mompelgart. p. 205 Coll. lat.* statuunt, *communicatio idiomatum ne verbalis quidem concedenda, quippe cum sit tam falsa, quam falsum est, unione hypostaticâ humanitatem evasisse deitatem.* Jam autem adventus hic verè erit actio divina, *tum respectu comitatus*, quia omnes Angeli cum eo venient: *tum respectus status*, quia in nubibus & cum nubibus veniet, quod Solius Dei proprium est: *tum respectu effectus*, quia mortuos suscitabit, omnes homines æternum salvabit, impios vero & malos condemnabit: quæ omnia non nisi Soli Deo propria sunt. 2. *ex descensus consideratione:* Hic enim

enim



enim miraculosus erit & verè divinus: Jam nullam miraculo-  
sam actionem Calviniani Humanæ naturæ tribuunt, sed eam  
comparant carni Apostolorum, virgæ Mosis, ut est apud Da-  
naum in examine contra Chemnitium cap. 4 p. 118. Ad miracula effi-  
cienda non plus caro Christi, quam ad edenda ab Apostolis miracula  
caro Apostolorum contulit, aut virga Mosis ad edenda miracula  
Mosi profuit. Et paulo post: Caro Christi nonnunquam est adhibi-  
ta, ut nudum duntaxat instrumentum. Ex quibus id colligimus,  
si Calviniani velint *Ἰἔσιν Φυλάττειν*, quod non possint aliter  
facere, quam Humanam naturam esse saltem ad ventus hujus  
causam ministerialem statuere. 3. Ex Calvinisticâ gloriæ descri-  
ptione: Videntur enim *ἴμοια λαλεῖν*, sed revera *ἀνόμοια Φρονῶσι*  
ut omnium Hæreticorum ingenium explicat Irenæus: Dicunt:  
Conspicietur in gloriâ: Ubi notandum, quod non gloriam illam  
intelligat, de quâ loquitur Christus *Matth. XXIV. 3.* quod ventu-  
rus sit *μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς* & cap. *XXV. 31.* super  
thronum *δόξης αὐτοῦ*: quæ gloria dicitur alibi gloria Patrie  
*Matth. XVI. 27. Marc. VIII. 38.* imò utramque conjungit, quod  
venturus sit *ἐν δόξῃ αὐτοῦ καὶ πατρὸς* *Luc. IX. 26.* Sed intelli-  
gunt, quando de humanâ naturâ loquuntur, gloriam crea-  
tam, finitam. Jam quicumq; saltem in finitâ gloriâ & poten-  
tiâ venit, ille non potest esse causa principalis adventus & ju-  
dicii. Atqui de Christi humanâ naturâ verum prius, secun-  
dum Calvini sequas, E. & posterius. 4. Ex disertâ assertionem:  
Feret enim tantum suâ voce sententiam, reliqua omnia soli  
divinæ naturæ attribuunt. Plura hâc vice addere non possu-  
mus, sed potius hanc Calvinisticam & blasphemam senten-  
tiam rejicimus. Contrarium enim jam antea probatum  
est, nec ullum fundamentum verum vel firmum in Calvinianâ  
assertione allegatum est.

XXII. Sed II. *Angeli*: illi enim sunt *spiritus administratorii*  
*Heb. I. 14.* Ministrarunt Christo in adventu primo, tum quo ad  
preparationem *Luc. I. 11.* quia præcursores ejus annunciarunt:  
tum quo ad ipsam apparitionem; quamprimum enim Christus  
his in terris apparuit, & ex Mariâ virgine Bethlehemi natus  
est, non tantum *Angelus Domini stetit juxta pastores Bethlehe-*  
*miticos, & adventum incarnationis ipsis annuntiavit Luc. II.*

D

9. seq.



9 seq. sed etiam subito factus est cum Angelo isto tota multitudo mi-  
litie celestis laudantium. Dum v. 11. tum quoad defensionem, quia  
defenderunt ipsum ab ignominia Matth. I. 20. seq. ab Herodis cru-  
culentia Matth. II. 13. ab exilii miseria, quia ipsum ex Ægypto re-  
vocarunt & reduxerunt v. 19. tum quoad Diabolicam tentationem  
Matth. IV. 1. tum quoad passionem Luc. XXII. 43. quia ipsi appa-  
ruit Angelus de caelo & confortavit eum: tum quoad resurrectio-  
nem, in qua non unus apparuit Angelus tum mulieribus, tum  
discipulis vid. Matth. XXIX. 2. Marc. XVI. 5. Luc. XXIV. 4. tum  
quoad ascensionem Act. I. 10. In adventu secundo etiam variis mo-  
dis Christo ministrant, ut alibi docetur. Adventum etiam  
ultimum Angeli non fugiunt, sed Christo quoad hunc suum  
adventum ministrarunt, ministrant & adhuc ministrabunt.  
Ministrarunt ipsi, quoad hujus adventus annunciationem  
Act. I. 10. Ecce duo viri (Angeli) adstiterunt juxta illos in vestibus  
albis, qui & dixerunt: Viri Galilaei, quid statis adspicientes in cae-  
lum? Hic Jesus qui assumptus est à vobis in caelum, sic veniet, quem  
admodum vidistis euntem in caelum. Ministrant, homines ad hunc  
adventum n. preparando, & animas in sinum Abrahamae deportan-  
do Luc. XVI. 22. Ministrabunt autem in ipsa etiam adventus die  
Christo (1) honorificam & gloriosam suam praesentiam ipsum comitando.  
Veniet enim Filius hominis in gloria sanctorum Angelorum Luc. IX.  
26. Et cum venerit Filius hominis in maiestate sua omnes Angeli  
erunt cum eo Mat. XXV. 31. (2) potentiam ejus manifestan-  
do: Revelabitur enim Dominus Jesus de caelo cum Angelis potentie  
sue II. Thes. I. 7. Et quia tam potentes habebit secum spiritus  
in tantam etiam copiam & summam ad quavis ministeria prompti-  
tudine, omnes gentes inde potentiam ipsius judicis cogno-  
scent (3) clamorem triumphalem & jubilationem ipsi offrendo.  
Nim ipse Dominus cum jubilatione & in voce Archangeli & in tubam  
Dei descendet de caelo I. Thes. IV. 16. (4) omnes homines coram ipso  
congregando Matth. XXI. 31 seq. Messores sunt Angeli. Sicut givae  
colliguntur & in ignem comburuntur, sic erit in consummatione  
seculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno  
ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem & mittent eos  
in caminum ignis Matth. XXIV. 31. Marc. XIII. 27. (5) congregatos ho-  
mines



mines separando: Matth XIII. 49. Sic erit in consummatione seculi. Exhibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum. (6) malos a sinistris & bonos a dextris ipsius iudicis ordinando: Licet enim hæc ordinatio Christo tribuatur Matth XXV. 33. Statuet oves a dextris suis, hædos a sinistris: tamen non exclusive sed inclusive hæc verba sunt intelligenda. Causa enim principalis non excludit ministerialem. Christo igitur principaliter, Angelis ministerialiter hæc ordinatio tribuenda. Eodem modo ut separatio piorum & impiorum modo Christo principaliter Matth XXV. 32 separabit eos ab invicem (näm. Filius hominis) sicut pastor gregat oves ab hædis: modo autem tribuitur Angelis ministerialiter Matth XIII. 49. Exhibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum. (7.) Impios a Christo damnatos ad infernum precipitando: Matth XII. 42. & 50. Mitent eos (impios) in carcerem ignis Conf. Matth. X. II. 13. cap. XXV. 30. Apoc. XX 3. (8) pios in eternam gloriam deportando: I. Theß. V. 17. Rapiemur (nos pii) in nubibus in occursum Domini in æra & sic semper cum Deo erimus Sicut enim in specie cujuslibet pii animam in sinum Abrahæ deportant Luc. XVI. 22. ita etiam conjunctim omnes pios in vitam æternam post iudicium deportabunt.

XXIII. III. Homines pii. Quod enim hi futuri sint causa ministeriales adventus Christi, illud tam ex V. quam ex N. T. est manifestum. Non allegabimus jam illa dicta quæ de ipso loquuntur iudicio, sed solum unum vel alterum de adventu ipso recitabimus Esa. III. 14. Veniet cunctus ad iudicium cum senioribus populi sui & principibus ejus I. Theß. II. 13. In adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus. Ep. st. Jude v. 14. Ecce venit Dominus cum multis sanctorum millibus. Viri enim in coelum translati sunt Enoch. Gen V. 24 & Elias II. Reg II. 11. Præterea etiam multi surrexerunt tempore passionis & resurrectionis Christi Matth XXV. 53. Venturi autem sunt pii (1) ut comites, quia Christum comitabuntur, cumq; eo ad iudicium proficiscantur. Veniet enim cum Senioribus Esa. III. 14. cum omnibus Sanctis I. Theß III. 13. cum multis millibus Sanctorum Jude. 14. adeoq; sancti Christi erunt comites. (2) ut assessores: id quod juramento confirmavit ipse Christus Matth. XIX. 28.



Amen dico vobis, vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in throno gloriae suae, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel; quod etiam repetitur *Luc. XXII. 30.* (3) ut iudices; *Sap. III. 8.* iusti iudicabunt gentes impias & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum *I. Cor. VI. 2.* An nescitis, quod sancti mundum iudicabunt? et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? An nescitis quod Angelos iudicabimus? *Apoc. XX. 4.* Et vidi thronos & sederunt super eos, & iudicium datum est illis. (4) ut testes: quia de bonis operibus piorum, de malefactis impiorum coram tribunali Christi testimonium dabunt: cum primis de beneficentia & liberalitate sibi praestita testimonium ferent, ut ex operum fructibus fides in corde latens toti mundo manifestetur *Luc. XVI. 9.* Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. *Sap. V. 1.* Stabunt iusti magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt. (5) ut approbatores: quia hunc adventum Christi suam praesentiam approbabit, & diu expectatum diem atque adventum laeta iubilatione exornabit. Sicut enim multis votis hunc diem adventus a Deo postularunt ex *Apoc. VI. 9. 10.* ubi animae interfectorum propter verbum Dei & propter testimonium, quod habebunt, clamant voce magna, dicentes: Usquequo Domine Sanctus & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra: ita etiam laetissimo aspectu hunc exoptatissimum Christi adventum approbabit. (6) ut collaudatores: Nam *Apoc. IV. 2.* Johannes in spiritu videt Christum in throno iudicii venientem, & 24 assessores & Seniores in circuitu sedentes, qui v. 10. procidebant ante sedentem in throno, & adorabant viventem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine, accipere gloriam, & honorem, & virtutem &c.

**XXIV.** *Causa instrumentalis*, qua mediante Christus venturus est, in sacris dicitur *Nubes*. Quod enim Christus venturus sit in nubibus, patet (1) ex expressis scripturae dictis *Matt. XXIV. 30.* Veniet Filius hominis in nubibus caeli cum virtute & maiestate magna. *c. XXVI. 64.* A modo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei & venientem in nubibus caeli. *Marc. XIII. 26.*



Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria. Marc. XIV. 62. Luc. XXI. 27. Apoc. I. 7. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus & qui eum pupugerunt. (2) ex Angelicis testimonis Act. I. 11. Viri Galilei, quid statis aspicientes in calum? Hic Jesus qui assumptus est à vobis in calum, Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in calum. Vide- runt autem ipsum ascendentem mediante nube, quia videntibus illis, elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. v. 9. (3) ex rationibus & quidem. 1. ex nubium appellatione: Dicuntur enim *currus Dei* Psal. CIV. 3. *ponis nubes currum tuum*. Si igitur nubes sunt currus Dei, erunt etiam vehiculum Christi, quia Christus etiam verus est Deus. Dicuntur etiam *equus Dei* Esa. XIX. 1. *Ecce Dominus equitabit super nubem levem*. 2. Ex adventus triplicis distinctione: Primus Christi adventus factus est *in ventre*, unde à Spiritu S. vocatur Christus *fructus ventris* Psal. XXXII. 11. Et Angelus dicit Mariæ Luc. I. 31. *Ecce concipies in utero (ventre) & paries Filium*: Ecclesia etiam tempore adventus canit:

*Veni Redemptor gentium*  
*Ostende partum Virginis*  
*Miretur omne seculum*  
*Talis decet partus Deum*  
*Non ex virili Semine*  
*Sed mystico spiramine*  
*Verbum Dei factum est caro*  
*Fructusq; ventris floruit,*

Multa similia etiam ex summâ animi gratitudine tempore Nativitatis Salvatori suo concinit. Secundus adventus fit *in corde*, quia nostrum cor est habitatio & templum Dei, ad quod per verbum & Sacramenta præparatum Christus cum Patre & Spiritu S. divertitur Job. XIV. 23. Ultimus a. Christi adventus futurus est *in nube*, quia ut primus adventus fuit *ignominia*, dum in fragili apparuit *carne*: Sicut etiam Secundus est *miserordia*, dum ex immensâ dilectione domicilium sibi parat in nostro corde: ita tertius futurus est *gloria*, quando in gloriosâ appa-

ritu



citurus est nube. 3. Ex adventus hujus descriptione: Describitur enim ita quod venturus sit cum virtute & maiestate Magna Mat. XXIV. 30. in maiestate sua cap. XXV. 31. Quoties a Deo gloriam suam hominibus vel Prophetis manifestare voluit, toties domum Domini nube replevit II Paral. V. 13. & alibi.

XXV. Certum autem cum sit, quod Christus mediante nube venturus sit, ejus etiam qualitas cognoscenda. Multi hæc, quæ in sacris de nube dicuntur, metaphoricè explicant, partim de iudicis serenitate, respectu sc. piorum. Sicut enim cælum cum sudum est, serenas ostentat nubes: ita etiam Christus in die ἀπολυτρώσεως & ἀποκαταστάσεως πάντων serenitatem suam nubium beneficio electis ostentabit & illos exhilarabit. Partim de iudicis severitate & implacabilitate, respectu impiorum. Sicut enim ex nubibus grandines & imbres, tonitrua, fulgura & fulmina, nec non alia portentosissima prodigia mittit, quando intolerabilem suam iram & odium erga peccata hominibus ostendit: ita etiam hoc instrumento nubium tunc usus est, quando sulphur & ignem super impios omnesq; Diabolos mittet, quando peccatorem penitus extirpabit, omnesq; impios cum Diabolis æternum damnabit. Alii explicant nubem per sanctos, quia dicitur, quod Christus sit venturus cum Sanctis Jude 15. Sicut Hebr. XII. 1. exempla Sanctorum vocantur nubes testium. Dicuntur autem Sancti nubes, tum propter conversationis sublimitatem Esa. LX. 8. Phil. III. 20. tum propter doctrinæ fecunditatem Job. XXVI. 27. tum propter ipsius consolationis utilitatem; Ut enim nubes præstant refrigerium, ita quoq; exempla sanctorum, teste Chryso. super Hebr. XII. Ac quemadmodum a nubibus pro edunt pluvies, conflagrationes & fulgura: Sic a Sanctis pluvia doctrine, conflagrationes miraculorum & fulgura comminationum oriuntur, ut habet Hugo Card. ibid. Verum his omnibus suo loco relictis, melius & tutius est in simplicitate & propinquate verborum manere, & nubem propriè sic dictam intelligere, quod suadet (1) articulo-  
rum fidei collatio. Nam in articulis fidei nunquam sine urgente necessitate à proprietate significationis est recedendum.  
(2) Prophetia predictio. Dan. VII. 13, Ecce cum nubibus cali quasi  
Filius



*Filius hominis veniebat.* Vbi notes velim præmittam particulam *Ecce*, quæ indicat sapius rei veritatem, proprietatem, summam q; certitudinem, ut in illis *Esa. VII. 14. Ecce virgo concipiet & pariet Filium.* (3) *Christi assertio.* *Matt. XXIV. 30.* (4) *Christi repetitio.* *Tum in statu exinanitionis*, ubi sapius hoc ipsum discipulis suis inculcavit, quod in nubibus ad iudicium sit venturus. Jam si Metaphoricum voluisset horum verborum sensum, non tam frequenter re petisset, vel ad minimum una vel bina vice hanc metaphoram indicasset: *Tum in statu exaltationis.* *Apo. I. 7. Ecce venit cum nubibus & videbit eum omnis oculus.* Sicut autem omnis oculus Christum videbit, ita etiam nubem videbit. (5) *Christi confessio.* Adjuratus enim à Summo Sacerdote tempore passionis hoc modo: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei:* Hanc constantem eamq; maxime proprijs verbis conceptam omniq; metaphorâ exclusâ de se edit confessionem: *Tu dixisti: Verum tamen dico vobis: Amado videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei.* (6) *Apostolorum testificatio:* *I. Thes. IV. 17. Nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in aëre, & sic semper cum Domino erimus.*

XXVI. *Materia adventus Christi* alia est inquâ nimirum *subjectum*, ubi Christus in ultimo die est compariturus. Est autem triplex (1) *communis* nim. *mundus* hic visibilis. Quando enim Christus est rediturus, mundus adhuc est superfuturus, id quod ex omnibus dictis colligitur, in quibus hic ultimus adventus asseritur. Veniet enim Christus ad nos, nos autem sumus in mundo. Veniet resuscitare mortuos, mortui autem sunt in mundo. (2) *Specialis* Veniet autem Christus in aëre, inque eo suum nobis exhibebit adventum. Hoc enim testatur *Paulus I. Thes. IV. 16. 17. Ipse Dominus cum jubilatione & in voce Archangeli, & in in tubâ Dei descendet de celo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deindè nos, qui vivimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in aëre.* Vbi nostra n affectuonem confirmat partim jubiliatio, quæ naturaliter ad sui formationem aërem requirit: partim *Christi defensio:* sicut enim in aëre Christus ascendit, & ex oculis disci-



discipulorum sublatus est, ita etiam in aëre ad iudicium redi-  
 turus est: *Partim nostra in nubibus presentatio*: qui rapiemur cum  
 illis in nubibus obviam Domino, nubes autem sunt in aëre:  
*partim manifesta assertio*: quia Dominus dicitur futurus in aëre,  
 κρηῖς εἰς αἴρα sc. ὄντ. Nam præpositio εἰς sæpe sumitur  
 pro ἐν ut *Matth. II. 23. habitavit εἰς πόλιν* pro ἐν πόλιν *Marc.*  
*I. 9. Venit Jesus & baptizatus est à Johanne, εἰς τὸν Ἰορδάνην*  
 pro ἐν τῷ Ἰορδάνῃ *Johan. I. 18. Filius, qui est εἰς τὸν κόλπον,*  
 h. e. ἐν τῷ κόλπῳ *Patris &c. (3) Singularis.* Veniet enim Chri-  
 stus in nube *Luc. XXI. v. 27. Et tunc videbunt Filium hominis veni-*  
*entem in nube cum potestate magnâ & Majestate.* Erit a. illa nubes  
 1. *naturalis.* Miraculis enim ubi non est opus, præter necessita-  
 tem nullibi Deus illis usus. Et cum expressè dicatur nubes,  
 etiam vera nubes est intelligenda. 2. *visibilis.* Videbunt enim  
 non tantum Filium hominis, sed etiam eundem in nube ve-  
 nientem videbunt. 3. *admirabilis,* tum propter *sefforem,* quia  
 is dicitur *admirabilis Judic. XIII, 18 Esa. LX. 6. tum propter splen-*  
*dorem.* qui omnes gentes capiet in stuporem & admirationem  
 4. *Terribilis* respectu impiorum. Sicut enim nubes sur-  
 gentes & tonitrua & fulgura mittentes impiis sunt terrori; ita  
 maximum terrorem hæc nubes omnibus reprobis creabit.  
 5. *Salutaris.* Sicut enim nubes solent facundare terram & bona  
 multa conferre hominibus: ita tunc nubes ista veram afferet  
 felicitatem & omnium bonorum cumulum conciliabit.

XXVII. *Alia est ex quâ,* quæ cum propriè non detur in  
 adventu, neque in Christi adventu locum habebit. Loco ta-  
 men ejus tres allegamus terminos, ex quibus adventus hic con-  
 stare videtur: Terminus autem triplex est, *tum terminus à quo,*  
 unde sit venturus, qui est *cælum,* nam è cœlis dicitur reditu-  
 rus *Actor. I, 11. Hic Jesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic ve-*  
*niet (nimirum è cœlo) quemadmodum vidistis eum euntem in cœ-*  
*lum. Phil. III, 20. Conversatio nostra in cœlis est, unde etiam Salva-*  
*tozem expectamus Dominum Jesum Christum.* Sic in Symbolo  
 Apostolico confitemur: *Christum ascendisse in cælum, sedere à*  
*dextris Dei & inde esse venturum judicare vivos & mortuos. Tum*  
*terminum per quem, de quo multi scribunt, quod Christus per ori-*  
*entem cœli plagam sit venturus, ut Damasc. l. 4. orthod. fid. cap. 13. Ex*  
 orientem



*orientali, inquit, celi plagâ Christus ad iudicium venturus. Licet autem opinio hæc sit antiqua, licet etiam in quibusdam ritibus Ecclesiasticis, nimirum in orationibus, in templorum ex-  
 structionibus &c. videatur observata, & à multis patribus approbata, non tamen ut infallibilem & authenticam eam asserere & defendere possumus, cum Scriptura hæc de re altum premet silentium. Tum terminus ad quem, de hoc fabulantur Judæi, quod Christus venturus sit usque ad vallem Josaphat, ibique iudicium institurus. Sic enim scribit Galatinus l. 8. de Arcan. c. 15. Omnes ferè Rabbini nemine discrepante dicunt, quod gentes, quæ jam Judaicum populum in hæc captivitate supprimunt & affligunt, similiter sint propter hoc à Deo in iudicio puniendæ, ad quod probandum illud Joelis adducunt: Congregabo omnes gentes, & ducam illas in vallem Josaphat & disceptabo cum eis super populo meo. Verû vocè Josaphat Joel. III, 2. Si de iudicio extremo locus intelligatur, non posse proprie explicari, sed appellativè esse accipiendum, svadet (1) Rei ipsius significatio, quia significat iudicium Domini. (2) objecti explicatio: non enim loquitur de Juda & Jerusalem carnali sed spirituali, alias sequeretur omnes Judæos & Hierosolymitanos cives salvatum iri, quod nemo sanæ mentis asserere poterit. Qualis igitur Juda & Jerusalem intelligitur, talis etiam vallis Josaphat allegatur. (3) omnium gentium congregatio. Vallis enim Josaphat tantæ non est amplitudinis, ut omnes possit capere gentes, quotquot fuerunt, sunt & futuræ sunt. (4) Terræ hujus maledictio. Maledixit enim Deus terræ Palæstinæ & huic etiam valli Josaphat, ut propterea nullum præ aliis locis possit habere privilegium. (5) Loci ipsius descriptio. B. Winckelmannus hanc super h. l. tradit descriptionem: Erat vallis Josaphat sita inter urbem Jerusalem & montem oliveti, per quam interfluebat correns Sidron, profluens è monte quodam versus meridiem sito ab oriente, in quem confluebant omnes sordes ex plateis Hierosolymitanis, item aquæ ex piscinâ siloâ, in quâ lavabantur oves sacrificiis destinatae, & præterea etiam aqua templi, quæ sanguis victimarum abluebatur, eo per canales subterraneos derivata: Unde propter sordium confluentiam & soli*

E

pingue.



pinguedinem, torrens ille Cidron, i. e. ater appellabatur. Dieta cre-  
ditur vallis Josaphat propter memorabile factum Josaphat ibi patra-  
tum. Habuit etiam nomen vallis filiorum Hinnon, in qua fuerat  
positum olim idolum Moloch, cui Judei idololatra comburebant filios  
& filias magno ejulatu. Unde Gehenna nomen sortita est. Hac ille.  
Cum igitur hic locus sit inter urbem Jerusalem & montem  
oliveti, satis est angustus, nec poterit esse receptaculum omni-  
um gentium. Cum etiam sit vallis filiorum Hinnon, Chri-  
sto est execrabilis, adeoque nequaquam suum ibi celebrabit  
adventum. Nos potius nostram fatemur ignorantiam, & lo-  
ci hujus adventus scientiam soli Christo relinquimus: Nam  
ut tempus sibi soli servavit, ita etiam locum haecenus nulli re-  
velavit.

XXVIII. *Alia est circa quam nimirum obiectum.* Hoc au-  
tem duplex est. 1. *Personale & vel Angelicum.* Veniet enim Chri-  
stus non tantum ad judicandos homines sed etiam Diabolos.  
Hi enim cum in veritate non steterint Job. VIII, 44. neque origi-  
nem s. principatum suum servaverint, sed domicilium suum relique-  
rint, in judicium magni diei vinculis aeternis haecenus sunt reservati.  
Jude v. 6, adeoque Christus etiam contra Diabolos veniet, eos-  
que maximo terrore percutiet, maximam ignominiam afficiet, &  
aeternam condemnatione puniet. Nam contremiscunt praeti-  
more, quoties nomen Jesu audiunt, Jacob. II, 19. hinc etiam  
praesumpto timore arbitrabantur Christum etiam in diebus  
carnis suae jam venisse, ut eos torqueret ante tempus. Matth. VIII,  
29. In quem locum sic commentatur Hieronymus: Sicut fugitivi  
servi post multum temporis Dominum suum videntes, nihil aliud nisi  
de verberibus deprecantur: sic & Demones videntes Dominum in  
terris de repente versari ad judicandum se venisse credebant (praesentia enim Salvatoris tortura est Daemonum) ac sollicitè ro-  
gant, ne imperet illis ut in abyssum abeant. Si igitur tunc tem-  
poris tanto timore & angore fuere perculsi, quid futurum est  
in judicii die. Si tantopere timuerunt Dominum in humi-  
litate, quanto magis futurum est istud, quando venturus est  
potestate & majestate.

XXIX.



**XXIX.** *Vel humanum nim. homines & quidem in univer-  
sum omnes, sive sint vivi sive sint mortui, sive pii, sive impii  
Veniet enim ad omnes (1) resurrectione: quia omnes defun-  
ctos resuscitabit Job. V. 28. Veniet hora, in qua omnes, qui in mo-  
numentis sunt, audient vocem Filii hominis & prodibunt, qui bona  
fecerunt in resurrectionem vite: qui mala egerunt in resurrectionem  
judicii. Et licet multi adhuc vivi sint superfuturi, tamen in  
ipsa immutatione, aliquid analogon mortis & resurrectionis  
futurum est. Ita enim scribit Paulus I. Cor. XV. 51. Ecce my-  
sterium vobis dico. Non omnes quidem obdormiemus, omnes tamen  
immutabimur. Chrysostomus super h. l. hom. 42. in I. ad Corinth.  
Venerandum & arcanum quiddam, & quod non omnes norunt est  
dicturus. Quid autem hoc est? omnes quidem non obdormiemus,  
omnes autem immutabimur. Hoc est autem quod dicit, non omnes  
quidem moriemur, omnes autem immutabimur, etiam qui non mo-  
riuntur, nam illi quoque sunt mortales. Ne igitur, quoniam in vi-  
eris, propterea inquit timeas, tanquam non resurrecturus. Sunt  
enim aliqui qui hoc effugient, & tamen hoc eis non sufficit ad ill. in  
resurrectionem, sed oportet illa, quoque corpora, que non moriuntur,  
immutari & transire ad corruptionem. Et postea: Mortui re-  
surgent incorrupti & nos immutabimur. Illud Nos non dicit de se-  
ipso, sed de ijs, qui tunc inveniuntur viventes. (2) congregatione:  
quia coram tribunali Christi congregabuntur omnes gentes  
Mat. XXV. 32. (3) Presentatione: nam quoad presentationem  
omnes erunt coram tribunali Christi, Rom: XIV. 11. omnes siste-  
mur ante tribunal Christi, scriptum est enim, Vivo ego dicit Dominus,  
quoniam mihi flectetur omne genu & omnis lingua confitebitur Deo  
II. Cor. V. 10. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.*

**XXX.** *II. Reale est partim totus mundus, qui in adventu Do-  
mini liberabitur a veritate, ab abusus multiplicitate, a servi-  
tutis tyranni de. Rom. VIII 19. Expectatio anxia creatura revela-  
tionem filiorum Dei ( adeoque ipsum Christi adventum ) expectat.  
Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum,  
qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur a servitute  
corruptionis, in libertatem glorie filiorum Dei. Partim cogitata*

E 2

disse



*dicta & facta hominum.* Cogitata I. Cor. IV. 5. Nolite ante tempus judicare, quousq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium. Dicta: Mat. XII. 25. Dico vobis, quoniam omne verbum ociosum, quod locuti fuerunt homines, reddant rationem de eo in die judicij. Facta Eccl. XII. 14. Cuncta, que sunt, adducet Deus in judicium etiam omne occultum sive bonum sit sive malum Apoc. XX. 12. Vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni Dei & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vita & judicati sunt mortui ex his, que scripta erant in libris, secundum opera ipsorum Vid. Jude Epist. v. 14. &c.

XXXI. Quod Formam concernit, ea nullibi melius & nullibi verius describitur, quam in S. literis. Hanc vice assumimus illud dictum, quo nervose ipse Salvator, Dominus hujus adventus, suum reditum voluit describere Mat. XXIV. 30. Tunc apparebit signum Filij hominis in celo, & tunc plangent omnes tribus terra, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa & Majestate. Consistit autem forma (1) in apparatu. In precedentibus varia de hoc adventu judicia allegaverat, siquidem apparatus hic alius est remotus, qui consistit in signis remotis ut sunt heresium multiplicatio v. 5. 11. 23. Totius orbis per bella, seditiones, pestilentias & terre motus conturbatio v. 6. 7. 8. Horribilis piorum persecutio v. 9. 10. Supina securitatis & projecte impietatis inundatio atq; extrema morum depravatio v. 12. Universalis per totum orbem Evangelij predicatio v. 14. Antichristi abominatio & revelatio v. 15. variorum signorum observatio, tum supra nos, partim in sole, partim in luna, partim in stellis, partim in celo v. 29. tum intra nos, maxima per ssura & angustia v. 19. maxima turbatio v. 6. magna offensio & seductio v. 9. 10. tum circa nos, bella, pestilentia & fames v. 7. Pseudo Propbetarum signa magna & prodigia v. 24. Tum infra nos, terre motus v. 7. quod pertinet etiam maris & fluctuum sonitus Luc. XXI. 25. Alius est proquid sit sentiendum, nostrum cogimur suppressere judicium, quia de adventu Christi ultimo ejusq; forma pleraq; latent, paucissi-



paucissima patent. Interim notemus hic diversas Doctorum  
 sententias, quia tutius & facilius est aliorum opiniones recen-  
 sere, quam certi quippiam definire. Per hoc *signum* intelligunt  
 (1) Alij ipsam *Filium hominis*, tanquam signum certissimum ejus  
 adventus, sicut *signum circumcisionis* scriptura usurpat, pro  
 ipsa *circumcisione* Rom. IV. 11. quia in scripturis novum non est  
 Christum vocari *signum* Esa. VII. 14. Luc. II. 34. (2) Origines *trid.* 30.  
 in *Matt.* ipsam *Christi redeuntis majestatem & gloriam* signi loco  
 futuram arbitratur. (3) Alij *Filium hominis signatum* s. corpus  
 Christi *vulneribus signatum* ex Zach. XII. 10. Apoc. I. 7. (4) Alij  
*specialem quandam claritatem, & radium quendam igneam*, qui  
 immediatè Christi adventum sit præcessurus, & in momento  
 per universum orbem sit transiturus (5) Hieronymus in *Comm.*  
*super h. l.* aliquod *vexillum victoriae triumphantis*. cui affinis est sen-  
 tentia Chrysostomi *hom. de cruce & latrone*: Sicut imperatorum  
*regalis pompa præcedit, & militaris ordo præeundo vexilla humeris*  
*portare consueverunt & his ejus declaratur adventus*: Sic Domino  
*de celo veniente Angelorum cætus & Archangelorum multitudo illud*  
*signum portant humeris excelsis & Regalem nobis adventum nunci-*  
*ant.* (6) Alij *signum pro significatione accipiunt, ut Marlorat.* su-  
 per h. l. q. d. *his prodigiis fideles admonentur ut Filium Dei expe-*  
*ctent è celo* (7) Alij ita explicant, quod Christus de nunciet,  
 se ultimo illo adventu palam emeritum, ut cælesti potentiâ  
 præditus quasi signo in sublime erecto ad se convertat totius  
 mundi intuitum, sicut principes seculi in pugnam egressi si-  
 gna proferunt, ad quæ milites spectent. (8) Pleriq; veterum  
 accipiunt de *signo crucis*, quod cum summâ claritate, sole &  
 lunâ obscuratis, in celo appariturum statuunt. (9) B Hun-  
 nius de stellâ quadam inusitatâ, sicut stella Magorum in adven-  
 tu primo apparuit. Nos hinc malumus *ἐπιχρῆν. II. in objecti*  
*statu.* Tunc plangent omnes tribus terræ. III. *in ipso adventu,*  
*qui erit tum velocissimus.* Sicut fulgur exit ab oriente, & ap-  
 paret usque in occidentem, ita erit & adventus Filij hominis:  
*tum inopinatissimus, quia fulgur ex improvviso venit, ita etiam*  
*adventus talis erit: tum manifestissimus.* Videbunt oculis sc.



corporis, quia visibiliter apparebit: tum gloriosissimus: partim propter adventus Dominum, qui erit Filius hominis: partim propter adventus thronum: Veniet in nubibus: partim propter adventus comitatem: cum virtute multâ h. e. cum potentissimis spiritibus, Angelis cap. XXV. 31. partim propter gloriae cumulum, quia cum multâ maiestate veniet.

XXXII. *Finis adventus Christi est multiplex (1) Hominum resuscitatio. (2) Hominum congregatio, presentatio & separatio Mat. XXV. 34. (3) Hominum judicatio. (4) piorum absolutio. Mat. XXV. 34. (5) impiorum condemnatio v. 41. (6) Mundi conflagratio II. Pet. III. 10. (7) impiorum in infernum detrusio Matt. XXV. 46. (8) piorum in caelum translatio, ibid. (9) plenaria mortis abolitio Esa. XXV. 8. Os. XIII. 14. 1. Cor. XV. 26. 54. (10) regni Christi in Patria manus traditio 1. Cor. XV. 24. 28. De his alij alibi tractant, nos hac vice solam adhuc proponimus definitionem: Adventus ad iudicium est Jesu Christi  $\text{Ἰησοῦς Χριστός}$  reditus, quo definito Dei consilio cum omnibus Sanctis Angelis à caelis in nubibus visibiliter & gloriae ad iudicium universale est venturus Et tandem finali scripturae sacrae voto finalem hujus disputationis thesin claudimus & obfirmamus: *Etiā veni Domine Jesu: Gratia Domini nostri Jesu Christi sit nobiscum omnibus. Amen.**

SOLI DEO GLORIA.







**U**Na dies restat, supremaq; meta laborum,  
Creditor adventus proximè adesse DEI.  
Non hoc Pierides norunt, non doctus Apollo,  
Non hoc Castalidum flumina lassa sonant.  
Sed sacer hoc Codex, & lucida Patris imago  
*Christus* venturum suggerit ipse brevi.  
Ah! precor, ò JESU, nos dignos effice, ad illum.  
Prompta tibi semper corda & aperta para.  
Per te, *Christe*, salus nobis reddenda redemptis,  
Quos supra nubes & super astra vehes.  
Hæc dum, FABRICI, iucundo differis ore,  
Applausum ingenij divitis inde feres.

*Fautori suo & amico honorando  
scrib gratulab.*

M. Jacobus Reichman  
S. W. C.

AD

*Virum Clarissimum.*

DN. M. JOHANNEM FABRICIUM  
De Adventu Christi Ultimo Disputantem  
scribebam.

JOSUA ARNDIUS

**C**Haos pudendum FABRICI, & fluens moles  
*Informis illa, tetra tot stygum rivis,  
Quot junxit usquam dira vis, & immisit  
In Unitatem simplicis Dei cultus.*

*Nibi*



Nil minatur, nilq; parturit, prater  
Mox incubantem seculo horridam noctem,  
Quâ primus orbis involutus, emerfit  
In tam coruscam mentis edita lucem,  
Ut vincat astra, siderumq; fulgorem,  
Ad usq; sedes intimas Deo, scandat  
Nunc alitiori plenus ambitu Mundus  
Se tendit ultrâ, mox repente casurus,  
Fidemq; ridens, naufragam Fidem gestat.  
At Tu jehovam termines mari danteram,  
Terræq; toti Filium, ô Pium NOMEN,  
Et disputa sic, perenne lateris  
Et crede sic, ne terrearis ADVENTU.  
Nam scire multa, non dat ætheri leges.  
Sed credidisse firmiter, facit civem.

ANNO MDCC LII,  
Mens. VIIIbr. a. d. XVI.

---

**E**X libris iterum sacris mysteria promis,  
FABRICI, nodos solvis & arte sacrâ?  
Maçte tuo ingenio! Satis sic elucet acumen,  
Mentis, divinæ Palladis igne calens.  
Non opus est laudes tantum diffundere in æquor  
Illius, quem sic nobile laudat opus.

*Eruditione Clarissimo, humanitate Charissimo  
Amico apposuit qui debuit  
Comens.*

M. Gerhard Mohrman,  
Hamb.



05 A 1156

ULB Halle

3

003 766 187




WM











IN NOMINE JESU CHRISTI!  
PIA CONSIDERATIO  
DE  
**ULTIMO JESU  
CHRISTI JUDICIS  
ADVENTU**

31

*Quam*  
SUB PRÆSIDIO  
*VIRI PLURIMUM REVERENDI, AMPLISSIMI  
ATQUE EXCELLENTISSIMI*  
DN. ABRAHAM CALOVII,  
SS. TH. D. EJUSDEMQUE PROF. PUBLICI  
ELECTORALIUM ALUMNORUM EPHORI, CONSISTO-  
RII ECCLESIASTICI ADSESSORIS, CIRCULI-  
QUE ELECTOR. SUPERINTENDEN-  
TIS GENERALIS.

*Publico Eruditorum examini subjicit*  
M. JOHANNES FABRICIUS,  
Brandenburgo - Marchicus.  
*In Auditorio Majori die Octobris.*

---

WITTEBERGÆ  
Literis exscribebat Johannes Röhnerus, Acad. Typogr.  
M. DC. LII.